UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarísque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Quam vili æstimatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-79369

Visual Library

Ex Patribus, & aliis.

Qui in Christo est, quomodo potest vanitates aspicere? cùm Christus in carne sua omnes Mundi hujus crucifixerit vanitates. S. Ambrosius Octo. 5. in Ps. 118. averte oculos meos.

Vanitas rerum humanarum est hæres: quoniam ipsius est distractio, & occupatio, varia. S. Ephrem. de pœnit.

Si agonizans plumam levem ori impositam non movet, signum est mortis. Cùm vanitates spernuntur, signum est, hominem adhuc in divina gratia vivere. Diez Humilitas.

Plus sapientiæ, & scientiæ, inveniet simplex idiota in vita Christi, ad hujus Mundi vanitates spernendas, ejusque dolos cognoscendos; quàm vel subtilissimus disputator in totius Mundi machina consideranda. Stella de contemptu &c. p. 1. c. 3.

Titulus II.

VENDITIO CHRISTI.

§. I.

Figuræ, Symbola.

Vendiderunt Joseph viginti argenteis. Gen. 37. 28. Origenes, August., & Beda: vendiderunt Joseph triginta argenteis. Joseph quidem à fratribus venditus; sed nè moreretur: Filius autem hominis tradetur, ut crucifigatur. *In servum venundatus est Joseph* Psal. 104. 17. Ut servaretur: Servi à servando. Vere non est dolor, sicut dolor Christi. Segneri die Ven. S.

Appenderunt mercedem meam triginta argenteos &c. Zach. 11. 12.

Hostia in modum denarii cum imagine Christi, seu literarum Nominis Christi: quia traditus est, & venditus, triginta argenteis; & est verus denarius laborantibus in vinea Domini. Matth. 20. 2. Gavantus p. 2. tit. 7.

§. II.

Quàm vili æstimatus.

Si bos cornupeta triginta siclos &c. Exod. 21. 29. 32. Tanti, nec pluris omnino, quanti vile mancipium, æstimatus est Dominus dominorum: in quo sunt omnes divitiæ, omnesque thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Incerto Auth.

Caput ejus aurum optimum &c. Cant. 5. 11. En! tantus triginta emptus est argenteis.

Quid vultis mihi dare? Matth. 26. 15. Judas non postulat certam summam; sed, quasi vile tradens mancipium, in potestate dementium posuit. S. Hieron. hîc. Quando aliquis vult vendere rem, quam diligit, imponit ei pretium. Sed quando habet rem, de qua vult se liberare, dicit: date mihi, quod placet.

At illi constituerunt ei triginta argenteos. Matth. 26. 15. Tanti enim erat valoris unguentum pretiosum: cujus pretio in tantum doluit se frustratum; ut, desideriò recuperandi illud, venderet JEsum. O infelix Juda! quàm parvi pretii fuit Filius Dei in anima tua! nec mirum; quia avarus fuisti. Dion. Carth. hic.

O Juda proditor! unguentum Passionis ejus trecentis denariis æstimas; & Passionem ejus triginta denariis vendis? dives in æstimatione, vilis in scelere. S. Ambros. l. 3. de Spir. S. c. 18.

Emitur tot argenteis, quot annis peregrinatus est in hoc Mundo usque ad Baptismum. S. Paschasius in Matth. 26. q. d. tam vili æstimatus est pretiò, ut nec pro singulo quôque pretiosissimæ suæ ætatis anno vel unum argenteum persolverint.

§. III.

Venditionis causa, finis.

Constituerunt ei triginta argenteos Matth. 26. 15. Judas Filium Dei pro triginta siclis argenteis vendidit; in recompensationem damni, quod incurrerat, propter effusionem unguenti. Quilibet autem argenteus valebat decem denarios usuales; & ita damnum unguenti, quod valuerat trecentis denariis, triginta recompensavit argenteis. Ad designandam ergo pretii quantitatem, quô Christus est venditus, Sacerdos facit tres cruces communiter super Oblata, & Calicem, cùm dicit: *benedictam, ascriptam, ratam:* nam & trecenta pariter, & triginta, multiplicationem suscipiunt à ternario. Innocentius III. P. de S. Alt. myst. l. 3. c. 12.

Infelix Judas! damnum, quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult Magistri pretiò compensare. S. Hieron. in Matth. 26.

Accepit aurum, perdidit Deum. S. Chrysost. s. 3. de Resurr.

Ex consilio venditur: ut nos, sub peccato venditos, suâ venditione emat. S. Gregor. Nyss. tr. 2. de inscript. Psalmor. c. 8.

Traditus est pro denariis inimico, nè tu tradaris pro denariis diabolo. S. Bonaventura s. 2. D. Quinqu.

Nos ille vult pretiosos facere sui muneris vilitate. Ipse nobis hac pietate pretiosior, quòd se vili vult æstimari; ut ab omnibus emátur. S. Paulinus ep. 4.